MARTINI WARREN
Ad AMICUM
EPISTOLA.
IN QUA
CURANDI METHODUS,
ET
RATIO in FEBRIBUS
Nuper graſſantibus,

Corticis Peruviani Periculum, Incertitudo & Inſalubritas,
Breviter explicatur.

EDITIO ALTERA.

CANTABRIGIÆ:
TYPIS ACADEMICIS.

Proſtant Venales apud G. THURLBOURN Bibliop. Cantabr.
G. INNYS & R. MANBY in Area Occidentali D. Pauli,
& C. RIVINGTON in Cœmiterio D. Pauli. 1740.



R. L.

Viro Doctissimo

MED. STUDIOSO

MARTINUS WARREN

S. P. D.


ANDEM tibi (Vir Amicissime) dato scribendi otio fidem libero, & sententiam nostram de Corticis Peruviani usu & abusu, Curandique Methodum & Rationem, quam in Febribus nuper grassantibus institui, tibi fusius exponam, at ea tamen quae Epistolae convenit brevitate.

Neminem in Aegris tractandis vel mediocriter verſatum fugere poteſt, Febres hujuſce & elapſi anni Verſatilis eſſe & Incerti Genii; Corticemque Peruvianum ab illâ, qua olim polluit, ſanandi vi & certitudine prorſus deſciviſſe, atque ex liberaliori ejus uſu (praeſertim praematurius exhibiti) malorum mille & peſſimi moris Symptomata exinde profluxiſſe.

Mihi (quantum potui) diligenter horum Cauſam exploranti viſum eſt aliam prorſus & inuſitatam, quam mihi mea ſuggeſſit ratio, tentare viam, quae ſine Pulveribus, ſine Hauſtibus *ſalinis*, quos (ſi mihi fas ſit libere quae ſentio effari) vix aut ne vix quidem unquam profeciſſe vidi; quae ſine longâ iſtâ & numeroſâ Medicamentorum farragine morbum ſine Recidiva prorſus confoderet.

Primo itaque notandum, quod ab omnibus uti reor in confeſſo eſt, Corticem inducias potius Morbo impetrare quam eundem debellare; Materiamque febrilem, quae propelli debuerat, tanquam hoſtem intra moenia incluſum, niſi Corticis uſus debitis inter-

vallis

vallis repetatur, certo certius novos daturam esse Tumultus.

A Cortice ergo tanquam inerti nimis Medicina, nisi summa urgeat necessitas, prorsus abstinendum, aliamque medendi rationem instituendam censeo, quae materiam istam omnino eliminet, quaeque plus habeat *Certitudinis*, minus autem & *Fastidii* & *Morae*.

QUID autem illud efficacius praestare potest quam purgatio, quae stimulo quodam Intestinorum tunicas irritando foecum Sarcinam extrudat, Naturamque nimio oppressam pondere relevet, quâ solâ Orgasmus per id temporis desaeviens tuto sedetur, & vitiatae Morbi Particulae confestim e Corpore exulent? Et si quis ea quae de Purgantibus disseruit *Jo*s. *Friend* (Vir disciplinâ omni, praesertim Medica instructissimus, cui parem aut in Aegris tractandis humaniorem aut faeliciorem non Aetas superior dedit nec dabit postera) Si quis quid de Febribus *Lommius*, quid *Bellinius*, quid *Sydenhamus* noster scripsere, cura vel levissima evolvit, vel mente vel oculis privetur necesse est, si non persentiscat, quan-

tum in his praesertim Febribus conferat adjuvetque lenioribus Catharticis subinde Alvum exonerare.

Neque est cur me quispiam justo audaciorem pronunciet, eo nimirum nomine quod Clarissimum *Sydenhamum* nostrae medendi rationi adstipulantem laudavissem; cum sedulo lectori facile constabit, illum monuisse, ne Catharsin aggrediamur, nisi Febre prorsus depulsâ; Ex eo quod exinde [a] Morbus *altiores radices agat & pertinacius stationem suam tueatur.*

[b] Neque *Catharsi, multo minus Venaesectione Subducenda est Materiae Febrilis Pars aliqua, quo liberius Cortex suo fungatur munere,* ex eo quod *promptius & certius recrudescent Paroxysmi.*

Quid quaeris habeo quod reponam? Est mihi sane Religio tam eruditos Manes inquinare, tam doctos Cineres polluere: neque id est aut consuetudinis aut naturae meae:

(a) Pag. 98. Edit. 1726. *Lugdun. Batav.*
(b) Pag. 94.

Verum

Verumtamen excuſandus fortaſſe videar, ſi vel a Rei, quae nunc agitur, Magnitudine, in qua Humani Generis Sanitas verſatur, quam ex animo colere voveo, perſuaderi me patiar, ut agam paulo liberius.

VERECUNDE igitur regero. Quidni autem ampliſſimus titubaret *Sydenhamus*, cum Humanum eſt aliquando dormitare, aliquando errare?

EHEU! Fugax ergo & labilis multum ſuſpiciendi Viri Memoria; En ipſum Catharticis Obverſantem! En eundem, Febres Omnigenas Purgantium auxiliis debellantem!

(1) DE Febre Peſtilentiali.] Poſt Diaphoreſin finitam, *ſequenti luce Catharticum exhibeo & hac ratione complurimis Febre hac correptis ſanitatem reſtitui, adeo ut ne unus quidem ex eo morbo mihi deſideratus ſit, poſtquam hanc exercere inceperam.*

(2) DE Variolis.] *Saepenumero Obſervaverim reiteratam Catharſin ſanguine nondum inquinato*

(1) Pag. 127. (2) Pag. 361.

Subſe-

subsequentes Variolas laudabiles & distinctas ut plurimum reddidisse.

(3) De Novae Febris Ingressu] *Saepe Aeger maxime si Juvenis aut Infans post eductum Sanguinem una Catharsi defunctus statim convalescit; Febre primo purgantis Remedii Impetu expugnatâ: nonnunquam vero opus est ut ad plures vices Alvus sollicitetur; Quandoque enim, licet id raro evenit, Aegro e Febre jam dictâ Methodo liberato, recrudescentia materiae Febrilis post Dies aliquot Morbum postliminio reducere videtur, quem tamen Purgatio quarta vice repetita mox eliminat.*

(4) De Novae Febris Ingressu] *Si quando vero Methodus Purgandi laudata Febrem non prorsus tollat, id saltem agit ut intermittere cogatur, ac proinde Peruviano Cortici, qui hic nunquam non triumphat, conficiendum tradit: cum autem Catharsis Curationi obesse nonnullis fore videatur; pro comperto adfirmo, nihil ita certo atque ita potenter Aegrum refrigerare atque Catharsin.*

(3) Pag. 522. (4) Pag. 537.

De

(5) De Febribus Vernalibus] *In Diebus Intermittentibus per triduum quatriduumve injectum Enema ſaepe Curationem abſolvit.*

(6) De Febre Stationariâ] *Veſperi applicetur Epiſpaſticum & ſequenti aurorâ Potio lenitiva praeſcribatur, quae ad tertiam vicem alternis Diebus repetatur, & hora Somni poſt Catharſin Hauſtus pacificus propinetur.*

Ex His collatis liquido ſatis conſtat illum ſibi ipſi nonnunquam diſcrepaſſe, immo prorſus contrarium fuiſſe, videorque mihi videre illum ipſum confitentem Reum & noſtrae Medendi rationi ex animo ſuffragantem—Sed ne amplius de tanto viro dicam: in viam redeo. Quempiam modo rogatum velim quid eſt Febris? Quid eſt niſi Naturae Conamen, quo quod eſt hoſtile ſibi amoliri laborat? Quidni itaque cum Ipſa ſuis viribus deficiat, adjutricem porrigam manum; quo tendat, comiter ducam; Et ſi ſit Impar operi ad vires ejus inſtaurandas & ad onus ſubtrahendum ſummâ ope enitar?

Dudum autem & ab illo tempore hanc

(5) Pag. 578. (6) Pap. 579.

Purga-

Purgationis Praxin rite celebrandam esse conjectabar; ex quo subolui Febres has Originem duxisse ex Particulis putrescentibus, & Cruditatibus quas Aeris Intemperies & Fructus autumnales in Intestinis & in Sanguine deposuerant.

Quin etiam pro certo comperi, quoties notandi Occasio obvenit multos ex Invasione Febris Ventriculi nausea & Ventris torminibus misere cruciatos, inter Curationem institutâ Catharsi vel per Os vel per Alvum Vermes in latibulis suis reconditos saepe ejecisse.

Non autem a re alienum erit, nec tibi forsan taedio, Unam vel Alteram e multis Historiam adjicere, quo clarius & plenius innotescat nostra medendi Methodus; & quo manifestius constet, ex solito tramite ipsam me Experientiam deduxisse seu potius abripuisse; *cui* nemo est qui non majorem Fidem adhibeat quam ullis Doctissimorum hominum disputationibus: Fieri enim potest ut vel Accuratissimus Philosophus in Causarum Investigatione aliquid omittat; cujus tamen non contemnenda

nenda ſit Vis in Effectibus producendis, ita ut cum ad Experientiam ventum eſt, non idem Effectus ſequatur, quem Ratiocinium promiſerat, cum autem Effectum aliquem, poſitis quibuſdam certis Cauſis naſci, his ſublatis non naſci, frequenti & iterata Experientiâ conſpicimus; nullus jam dubitandi Locus relinquitur. Ad Experientiam igitur provoco.



HISTORIA Ima.

VIR Generoſus, quadragenarius, Vino & Liquoribus ſpirituoſis plus aequo deditus, Febre vehementi & continuâ per tres Dies laboravit, nec quicquam Medicamenti, niſi quod Aniculae ſuasêre, ſumpſit.

Die *Quarto*, Rebus omnibus in deterius ruentibus, me advocari juſſit Frater ſibi chariſſimus; Hora circiter tertia poſtmeridiana in Auxilium veni, quo Tempore ingraveſcebat Stupor & per Intervalla Delirium; defecit alternatim loquendi & deglutiendi Vis, Pulſus celer, debilis & aliquando interciſus, Urina pallidiſſima, Muſculorum Dolores, Tendinum Subſultus; Hujuſmodi aliiſque peſſimae Indolis Symptomatis correptus jacuit.

Ego

Ego vero Emplastra suppedalia, & Epispastica solito acriora Nuchae, Brachiis & Femoribus internis quamprimum apponenda curavi, & praecepi Bolum ex Confectione Raleighanâ additis Camphorae gr. *vj*, Superbibendo Haustum Paregoricum, qui per totam fere Noctem placidum conciliavit Somnum.

Quinto mane Mente constitit, visus est & Sibi & Amicis paululum recreari. Hora undecima matutina, Febris mirum in Modum tenuata; Urina Hypostasin deposuit laudabilem; Pulsus tum Viribus valentior tum & Intervallis distinctior, & in melius omnia; nihil itaque nisi Haustum Paregoricum hora Somni repetendum praescripsi, & in Promptu esse Potionem Purgativam sequentem.

℞ *Tinct. Hier.* ℥jss.
Syr. Ros. Solut. ʒvj.
Spt. Lavend. C. ʒss.

M. F. Potio—

Sexto, Multo mane Rebus sic stantibus Potionem praescriptam & subinde Haustulum Seri vinosi sumendum dedi; Ad Meridiem

ter ſe dejecit Alvus, unde multum Emolumenti, Veſperi Hauſtum Paregoricum iterum propinandum juſſi; ad mediam Noctem rediit Febris & recrudeſcebant omnia, non autem ea qua prius Vehementia.

Septimo mane ſeſe remiſit & intermiſit; quocirca Potionem purgativam & alternis Diebus ad tres Vices repetendam praeſcripſi, quibus peractis ſenſim inclinavit & evanuit Febris, & ſine Recidiva optime & athletice convaluit Aeger.

Et intra Dierum circiter quadraginta Spatium aegros quinque, alioſque deinde, hac ipſa Methodo tractatos incolumes evaſiſſe Fidem tibi ſpondeo.

HISTORIA



HISTORIA 2da.

RUSTICUS priori Vicinus, corporis Obesioris, non multo post Tempore elapso, eadem fere Symptomata persensit;

Quarto ab Invasione Curae meae mandatus fuit, & eandem pene adamussim Curationis Methodum institui, impari autem Successu, quater enim repetita est Catharsis, Febriculae tamen adhuc aliquantulum permansit & alternis Diebus rediit; ad Recidivam praecavendam in hunc Modum praecepi.

℞ *Pulv. Peru el. & recent.* ℥vj.
Rad. Rhei el.
Cort. Winteran. ā ℨj.
Conf. Fracast. S M. ℨjſs. *Syr.*

Aurant

Aurant. Q. *S.* M. F. Elect. Cujus sumat Q. N. Mosc, majoris tertiis Horis (a Paroxysmo vacuis) superbibendo Haustulum Vini Rubri Aqua tepefacta commixti; intra Septimanam pancratice valuit.

HISTORIA



HISTORIA 3a.

VIR Doctus (deglutitis licet ex ſuo etiam Praeſcripto intra Menſem Corticis ℥iij) multa adhuc Febre fractus intermittente, eaque in Continuam & Hecticam vergente, me conſuluit; tunc temporis Tuſſi, quae Phthiſin minitari mihi videbatur, vexatus, ex Siniſtra Pleuriticis & Colicis doloribus ſubinde cruciatus, Purulenta non ſine Sanguine exſcreavit, difficulter & raro Sedes detruſit.

CUCURBITULAS Cervici, Scapulis & Partibus adjacentibus, ut flueret Sanguis ad ℥x. apponendas eſſe juſſi; & ut

BIS repetita eſſet lenior Catharſis, quae quidem Tuſſi & Doloribus Levamen attulit maximum.

QUO

Quo facto Electuarium praedictum praecepi quarta quaque hora sumendum superbibendo Coch. iiij Apozematis sequentis.

℞ *Pulv. Peru el.* ℥x.
Sal. Absynth. ℥j. *Coque*

Repetitis Vicibus in *Aq. font.* Q. S. sub Finem Coctionis adde

Balf. Tolutan. ℥ij.
Styrac. ℥j.
Flor. Benzoin ℈ij.

Colaturae ℥xij. Adde *Aq. Lumbric M.* ℥iij.

Syr. Balf.
De Mecon. ā ℥jſs. *M. F. A.*

His adhibitis Remediis, post Hebdomadas duas, nihil Sanitati defuit, nisi virium Robur, quod ex Culina brevi faeliciterque instauratum fuit.

HISTORIA



HISTORIA 4ta.

VIR Rusticus, Habitus boni, Annum trigesimum circiter, in Febrem incidit intermittentem, quam vero assumptis ex Pharmacopoei Consilio Corticis ℥x. brevi depulit & Sanitatem sibi promisit integram; Nulla autem adhibita Cura ad praeveniendam Morbi Revirescentiam, elapsis duabus tribusve Hebdomadis recrudescebat Febris, eaque continua & mali Moris; intra enim Dies tres Doloribus horrendis, Vigiliis pertinacibus, Spasmis, caeterorumque Symptomatum funestissimorum Satellitio stipata fuit. In Auxilium vocatus in hunc Modum praecepi.

Appositis prius Emplastris Epispasticis Nuchae & Femoribus internis

℞ *Conf. Fracast. S. M.* ℈j.
Pulv. e Chel. C. Comp. ℈ſs.
Croc. Anglic.
Cast. Ruſ. ā *gr. v.*
Sal. Succin.
——*C. C.* ā *gr.* iij.
Conf. Alkerm. q. ſ. M. F. Bol.

quamprimum ſumend. & quarta quaque Hora repetend. cum Hauſtu ſequenti.

℞ *Aq. Ceraſ. Nigr.* ℥jſs.
Poeon. C. ʒij.
Syr. de Mecon. ℥ſs.
Sal. Vol. Oleoſ. gut. xxx. *M. F. H.*

℞ *Emplaſt. Cephal.* ℥iſs.
Epiſpaſt.
Galban. Colat. ā ℥ſs.
Euphorb. Camphor. Opii ā ℈ij.
Ol. Succin. ʒij. *M. F. Emplaſt.*
S. A. n°. ij *plantis pedum tepide admovend.*

His peractis, Eheu vero! nequicquam vel ad Dolores mitigandos, vel ad Febrem ſubdomandam proficientibus, poſt biduum ſecundâ Vice ad Aegrum inviſendum accerſitus, cito intellexi Morbum efferatiùs ſaevire, & in pejus omnia

omnia ruere. Rebus ſic ſtantibus Medicum alterum quemcunque velint in Operam ſociam invitandum efflagitavi; Incaſſum vero. Quid itaque faciendum? Quid Conſilii capiendum? Medici pro certo neque boni neq.ue probi eſt omnem Spem protinus abjicere, & inſtanti Periculo turpiter cedere. Ne te ergo (Vir erudite) in Rebus arduis de omnia tentando propelli Clamor & Vociferatio deterreat; levis etenim Momenti eorum Lingua procax ex Eventu omnia abjudicantium. Memento vero Diverbii non eo minus Soſpitis, quo magis triti, *Experiri anceps Remedium potius quam nullum.* Apage! Omne illud Famae Detrimentum, & quae Uſus probarit ſeu Ratio dederit, animosè experire, ſi quà forte ſit Salutis inſtaurandae Via.

ADVOCATIS itaque & de Periculo monitis Amicis, Potionem Catharticam & poſt Horas duas Enema emolliens injiciendum praecepi, haecque Sorte non iniquâ ſed & mirandâ; Mediam ante Noctem ter ſoluta eſt Alvus, uti tamen ut ſatis ſint commoda Quietis Intervalla. Finita Operatione, Paregoricum, quem in promptu eſſe juſſeram, cepit Hauſtum,

ſtum, qui placidiſſimum allexit Somnum. Ad proximam Meridiem me reviſit Pharmacopaeus, deque Salute Aegri Fiduciam ipſius temere jactitavit, ex eo quod Symptomatis omnibus periculoſioribus immunis manifeſtim remiſit & intermiſit Febris. Quocirca *Electuarium Peruvianum* ſolito More ſumendum & *Catharſin* tertiis Diebus repetendam mandavi. Formulas vero praeſcribendi mihi ſolennes ad Nauſeam uſque non recenſeo. Hiſce vero & omnibus abſque aliis Adminiculis Vires Aegro inſtaurantur, intraque Dierum plus minus duodecim Spatium perfecte convaluit. An vero Corticis Peruviani Uſui, an repetitae Purgationi, an vero utriſque mutuo conſpirantibus ſit referenda Sanitas, quem penes eſt, dijudicet.

HISTORIA.



HISTORIA 5ta.

AD Infantulam ſex fere Menſium, iniquâ & dura Lege ſubnatam (quippe cujus Matrem Utero gravem Febre intermittente afflictam curaveram) me accerſivit Nutrix, retulitque ſe obſervaſſe eam Aeſtu & Convulſionibus periodice corripi, & ex iiſdem tunc temporis correptam tantum non mortuam eſſe — Ad Meridiem primo inviſi & in hunc Modum praeſcriptum eſt;

UT Infantula quamprimum in Aquâ & Lacte commixtis & tepefactis ad Horae quadrantem immergeretur; Dein ut admotis Venis temporalibus Hirudinibus flueret Sanguis ad ℥ij. His peractis manifeſtim & mirum in Modum recreata ad Somnum ſe compoſuit; Mane proximo Rhei *gr.* iiiij. ſumenda dedi, quae Alvum debito ſtrictiorem bis terve depoſuêre

posuêre; per totum Diem parum vel nihil Aestus observavimus. Sed ne Reditus tam tenerae Aetatis Infantulam in vitae Discrimen conjiceret, ad praecavendum sic progressum est.

℞ *Pulv. Peru* ʒj.
Cort. Granat. ʒss. *coque in*
Aq. font. q. S. ad Colaturae ℥iiij *&*
Adde *Conf. Fracast.* ℈j. *M.*

F. Enema bis in Die mane & vesperi ([a] in dextrum latus decumbenti) leniter injiciendum & ad sex Vices repetendum.

℞ *Pulv. Peru* ℥ss. *Terebinth. q s. F.*

Emplastra Carpis & Suris tepide applicanda & alternis Diebus renovanda—Hac Methodo intra Septimanam bene se habuit.

Praedictis subjungam Observationem nostris Geminam, quam mihi nuper, cum de hac curandi Methodo cum eo Sermonem habui, communicavit Vir in Arte Chirurgicâ peritissimus.

(*a*) *N. B.* Cautionem in Clysteribus adhibendis apprime necessariam, Rationis ignarus consulat *Hildan.* Observ. Chir. 77. Cent. 1.

Foemi-

FOEMINAE cujuſdam Febre tertiana laborantis Curam habuit, cui Corticem ad ℥iiij. ſumendum dedit; iniquis tamen (proh Dolor!) Auſpiciis, Febris enim Paroxyſmus eadem Facie, eodem Calore, & iiſdem omnibus Symptomatis ad eaſdem Periodos revertebatur. Incertus quid agat, tandem Unciam quintam deglutiendam dedit, quae quidem ultra illius Spem & Opinionem, ſed in Aegri Commodum & Salutem decies & amplius Ventrem dejecit; Ex quo ſenſim decrevit & intra Septimanam ex Integro diſceſſit Febris.

DE cujus quidem Facti Veritate Hominiſque Fide nullus dubito; praeterea quod me Uſus ſaepe docuit, palam eloqui ac etiam propugnare non verebor. Tantum abeſt ut Cortex vel Damni vel Inefficaciae merito incuſetur, ex eo quod primis ab aſſumptis Doſibus ſuperveniat interdum Diarrhaea, ut poſt Fluxum cohibitum ex mediocri & minori, quam ſolet, Quantitate Curatio exinde ſaepe, ne dicam ſemper, reddatur facilior & certior.

SED ut eo Revertar unde digreſſus ſum data Febris Remiſſione, immo etiam urgente

Febre

Febre, ubi diutius inhaeſerit nec integra aliqua intervenerit Criſis, *Potionis Catharticae* plus minus pro Ratione Aetatis vel Idioſyncraſiae & alternis diebus ad duas vel tres Vices cum Hauſtu Paregorico repetendum praeſcribo: Et hac ſola Methodo Res aegri magis magiſque indies in Tuto collocabitur; ſeu ſaltem Medico praebebit Anſam, qua Opportunius & certius Corticis Uſu Morbum feriat & confodiat.

Et quiſnam eſt obſecro qui Medicinam vel primis labris guſtaſſe prae ſe fert, cui non in proclivi eſt hujuſce Praxeωs Rationem reddere?

Quisnam, qui in Arte Anatomicâ vel minimum verſatus (cujus qui ignarus eſt in Morbis quibuſcunque curandis dubio errat Tramite & Filo incerto ducitur) qui Inteſtinorum & Glandularum Situm, Fabricam & Uſum vel parum novit, non facile perſpiciet Catharticis non modo Ventriculum Cruditatibus expurgari; Ductus Billioſos & Pancreaticos ad Chylum rite elaborandum neceſſarios reſerari; Renum, Ureterum, & Veſicae Vias mundari; Inteſtina tam craſſa quam tenuia Stercore obſita

ſita bene liberari; non tantum Ora Lacteorum Saburra oblinita aperiri, Glandulas Peyerianas & Lymphaticas omnes a Craſſis & Glutinoſis Humoribus, quibus ſaepe Obſtrui ſolent, abſtergi; non modo primas purgari Vias, crudaeque Materiae Redundantiam minui: Sed & ipſas Medicamenti Particulas in Sanguinem ſeſe inſinuare & exinde Lentos attenuari, Viſcidos incidi Humores, ita ut liberior ſit intra Vaſa Circuitus, & ſi quid ſuperfluum ſit per Cutim diffluat; ſi quid in Arteriolis haeſerit in Venas trajici queat. Viis omnibus & Canalibus recluſis & expurgatis ut conſueti Spiritibus & Sanguini meabiles pateant Aditus & ut utriſque ſua firme inſtauretur Craſis.

SED ad Praxin revertamur. Diaetam quod ſpectat & Regimen paucis dicendum; non enim opus eſt ut vel a Potu vel Cibo cohibeatur Aeger; veſcatur autem Eduliis Eupeptis & Euchymis & ſingulis Paſtibus Vino quolibet modice utatur; temperet vero ſibi ab Uſu Olerum & Fructuum qualiumcunque & Liquorum frigidorum; caveatque ne audaciter ſe Aurae committat, nec prius Sanguis

quam priſtinas Vires de novo receperit, ne frigidioris Aeris Acceſſu malum recrudeſcat.

Non poſſum autem me continere, quin hic te moneam, quam inanem & pernicioſam Operam navant ii, qui Febricitantes more malo immo peſſimo Jure vel Injuriâ lecto protinus addicunt, & Anicularum inſtar, Sudoribus quoquo modo extorquendis, ſummâ Ope incumbunt: cum ab ipſo hoc importuno Molimine, tantum abeſt ut minuatur Febris, ut quae vel ſponte ſua evanuiſſet forſan vel faeliciter ſeſe remiſiſſet, Mutata ſua Indole & Genio in continuam vel malignam migret: Ex ipſo enim lecti Calore & Medicamentis juſto calidioribus rapidior fit Sanguinis Circuitus, & proinde Aeſtus & Spirituum Agitatio magis intenduntur, nec ſedari poſſunt niſi Aeger e Lectulo eximatur; Morbus enim Fraeno potius quam Calcaribus indiget. Vides itaque (Vir Colendiſſime) *Curationis* Exitum ab ea Ratione quâ in ipſo Limine & primis Morbi Diebus Aeger tractetur ſummopere pendere.

Quin & inter Monita Verbum adjiciam, in Febribus praecipue tractandis, ad Therapeiam

rite

rite inſtituendam accurate diſtinguendum eſt Medico, quaenam ſit Aegroti Idioſyncraſia; quaenam Sanguinis Temperies & intima Morbi Indoles.

VARIAM enim (uti cuivis Anatomico patet) in diverſis Mutationem ſubit Sanguis: Modo adeo tenuis & nullius fere Firmitatis eſt, ut Mictum Sanguineum, Dyſenteriam, Petechias, aliaque ejus Generis Symptomata inducat; modo craſſus adeo & pinguis, ut eliminatis omnibus Particulis Seroſis inſpiſſetur & in Solidum exſiccetur, ac proinde invehat Faucium & Linguae Aſperitatem, Sitim inexplebilem, Anginam, Anthraces *&c.* Satis ut opinor tenes quam ex his inter ſe plane diſcrepantibus oriuntur Indicationes longe ſibi invicem diverſae; abſit vero Verbis Invidia, ſi *Mediocris* immo *Magni* Nominis Medicos in hac Re, non ſemel ſed ſaepius graviter erraſſe affirmem.

DOLENDUM eſt ſane tam paucos extitiſſe, qui accuratâ in judicando Faelicitate, erudita in Symptomatis internoſcendis Subtilitate, peracri in Pulſibus & in Urinis Acumine

gaudeant: Haec vere ſunt ab ipſis Incunabulis gratuita Naturae Dona, non improbi Laboris, quantumcunque enim Studii acceſſerit, Medicus non evades, niſi una cum Doctrinâ Vim habeas inſitam, niſi & quodammodo Medicus naſcaris; etenim ſi dare Vitam, proprium Dei Munus eſt, certe datam tueri & jam oppreſſam pene reſtaurare aut fugientem retinere Divinae Poteſtati proximum fateamur oportet. Eſt enim Ars Medica a Natura tibi credita, non a te inventa, quam accepiſti, non quam excogitaſti. Tu itaque (Vir eximie) quam a Natura nactus es, Spartam orna, eaſque Ingenii Dotes locupleta, quae quantum ego Opinione auguror, Decus tibi honeſtum intaminatamque Gloriam conciliaturae ſint. Sed de his ſatis & fortaſſe nimis multa.

REDEAMUS itaque unde deflleximus & de Corticis *Periculo, Incertitudine,* & *Inſalubritate,* ulteriùs pergamus, omnemque Rem ita Oculis ſubjiciamus, ut quae vera ſit medendi Methodus & Ratio ſatis ſuperque evinci poſſit.

VERUM enimvero (nec diffiteor) *Periculum* non tam ex ipſo Cortice natum eſſe videtur:

detur, quam ex eo quod perperam administretur, quod minus opportune Aegro ingeratur; si quidem vel urgente Paroxysmo, vel paulo ante Accessum, vel data tantum Remissione deglutiatur, saepissime efficit quo minus Materia morbifica ipsâ Naturae Methodo possit exterminari, quae proinde praeter fas inclusa Aegrum in summum Vitae Discrimen conjicit; Sanguis enim fervidior, magisque ebulliens in superiora male Impetum facit, Spiritus accendit & in Furias agit. Et ex hac Materiae Febrili Metastasi in Cerebrum derepente facta, perturbata est totius Corporis Oeconomia, omnibusque usque deque versis non modo tristissima omnium Facies ultra consuetum Morbi Morem inducitur, sed & Morbus jam a seipso alius Symptomatis stipatur Anomalis.

HISTORIA



HISTORIA.

VIR bonae Stirpis triginta circiter Annos natus, Artuum, Dorſi, & Capitis doloribus, Ventriculi Nauſea & Vomitione frequenti, Aeſtu vehementiſſimo correptus jacuit. Veſperi Emeticen propinandam dedit Pharmacopola non indoctus, & Nuchae & Brachiis Emplaſtra Epiſpaſtica applicuit & Hora Somni Hauſtum Paregoricum exhibuit.

Die *Secundo*, Foelicius fere omnia cecidere.

Tertio, Potionem Purgativam & finitâ Operatione Hauſtum Paregoricum ſumendum dedit.

HUCUSQUE recte quidem, rectius vero ſi vel eandem inſtitiſſet Viam, vel ſi in alteram

ram non nisi cunctanter & tardo Pede transiisset.

Quarto, Summo mane (Aegro se melius habenti) Corticis Peruviani ℈ij. cum Decocti ejusdem coch *iiij.* & secunda quaque Hora repetenda suasit. Proh autem ex Improviso mutatam rerum omnium Faciem! Vesperi ad Horam circiter septimam rediit Cephalalgia & Calor excanduit; Urina prius turbida subito pallida, nec quicquam in ea subsedit.

PULSUS debilis, celer, & non aequis Intervallis motus; ad mediam Noctem aliena Mente locutus est & ante mane totus obstupuit; Rebus sic stantibus, *Quinto*, Emplastra Epispastica Femoribus & Suris internis sedulo apposuit Pharmacopola; his vero nihil respondentibus nec ut ipsi videbatur responsuris, quid faciat, quo se vertat nescius, *Septimo* me in Operam subsidiariam invitabat. Quo tempore urgebat Stupor & per vices Delirium eousque aliquando processit Furor, ut insanum juraveris, neminem vel Amicorum cognovit, Lecti Fimbrias & Floccos vellicavit, omnibus adstantibus de eo prorsus actum esse ejulantibus in hunc Modum praecepi.

CAPITI raſo Emplaſtrum Epiſpaſticum & plantis Suppedalia apponenda juſſi, & ut admotis intra Scapulas Cucurbitulis flueret Sanguis (ſi commode fieri poſſit) ad ℥viij. & ad Interna

Octavo ℞ *Tinct. Hier.* ℥jſs.
Jalap. ʒij.
Syr. e Rham. C. ʒvj. *Spt. Lavend.* ʒj.

M. F. Potio, partitis vicibus exhibenda donec Venter ſemel ſolvatur.

(NOTATU dignum eſt (Vir erudite) ad Catharſin rite inſtituendam, Medicum ſcire oportere, utrum Aeger facilius an aegrius Medicamentis cedat; Taliter enim Catharſi celebrata ne quid Aegri Idioſyncraſia Detrimenti capiat, ſatis cautum eſt) poſt Horas tres ter quaterve ſe detruſit Alvus, eoque neſcio, a quo tempore manifeſtim remiſit Mentis Error & brevi ceſſavit. *Nono* nil Medicamenti cepit, ſed optabilius omnia.

Decimo, Potionem leniorem praeſcripſi cum Hauſtu Paregorico h. S. ſumendo & intra Dies *viij.* bis repetita Catharſi, rejectis omnibus aliis

aliis Remediis convaluit, Vireſque priſtinas brevi obtinuit.

Possum equidem alios huic ſimiles Caſus tibi enarrare, ſed hunc ſolum abunde ſufficere arbitror, ad evincendum illud ſummopere cavendum eſſe, ne Cortex praemature nimis exhibeatur, nec prius Morbus ſe quam ſuo Marte parum protriverit; *niſi nimia aegri Debilitas exigat.*

Sed in nulla quam in hac Rè magis ſpectatur Medici Acumen; nemo Medicus vere dici meretur, niſi Pulſuum ſagaciſſimus & Judicio ſubacto praeditus, niſi qui dubias ſaepe & fallaces Morborum Notas rite intelligat, quique Remiſſiones ab Intermiſſionibus rite & adamuſſim dignoſcat, & urgente Neceſſitate ex labefactatis Aegri viribus, quâ Methodo quibuſque Cautelis vel in Remiſſionibus Cortex exhibendus ſit, rite novit; ex leviſſimo enim Errore Febris efferatior, Domituque obſtinatior efficitur, tandemque uti non raro accidit ipſa Arte redditur immedicabilis.

Cautus itaque ſemper ſis in Medicamentis omni Morbo adhibendis, ne in Allucinationem incidas & aberres ab illo Scopo in quem collimat Natura; Artis enim eſt Naturae adeſſe non obſtare, ejuſque Ductum non praeoccupare ſed ſequi.

De Corticis in Febribus nuper graſſantibus *Incertitudine* Verbis parum Opus eſt; Cujuſvis enim eſt in Medicinâ *Operarii* notare, has pro More & ut olim Cortici non ceſſiſſe, ſed ad incredibilem pene Quantitatem repetitum parum vel nihil profeciſſe.

An vero ejus *Inefficaciae* an *corrupti* & *adulterini* paſſim venditi Vitio vertatur necne, nunc Temporis non eſt dijudicandi.

Eousque quidem nunc Dierum proceſſit quorundam Aſtutia, ut Corticem (neſcio quem) *Fuco imbutum* pro Peruviano incautis obtrudant; Eouſque etiam Impudentiae ventum eſt, ut vel ipſis aperte fatentibus duplicem habeant Officinam, *veram* alteram & alteram *adulterinam*.

Enixe

ENIXE vero optandum eſſet, quippe quod & Artis Honori & Reipublicae Saluti cederet, ut non tantum Pharmacopolae, ſed ut Medici qui Ruri Medicinam colunt, in hujuſmodi Fraudibus aperiendis & retegendis, in Pharmacis Viſu, Tactu, Odore, Sapore, & præſertim omnium ***Lance Hydroſtaticâ*** rite dignoſcendis diligentiorem præſtarent Operam. Sed ne fidis ſim Offendiculo Amicis, me reprimo & revertor.

UT ut ſit, pro certo habeatur, lubricam eſſe atque Aleae plenam per Corticem Curationem; Quamplurimos enim repetito licet hebdomatim per Annum & amplius Cortice Tertianae vel Quartanae Febri ſuccubuiſſe, tandemque vel tabidos Mortem obiiſſe, vel miſeram adhuc Vitam trahere. Non paucos vero Curae noſtrae mandatos, ſanctiſſimè adfirmo, ab ipſis Fati Faucibus ereptos ſoſpites evaſiſſe & incolumes; & ſequenti Methodo.

DATIS bis terve *Catharticis* iiſque (ſi tulere Aetas & Craſis) valentioribus; ad Reditus præcavendos in hunc vel ſimilem Modum progreſſum eſt.

℞ *Pulv. Peru. el.* ʒx.
Rad. Rhei ʒij.
Pulv. Cinnam ℈ij.
Conf. Fracast SM. ʒij. *Syr. e Cort. Aurant.* *q. ſ.* M. F. *Elect.*

Cujus capt. ℞. *N. M.* tertiis Horis (data Apyrexia) ſuperbibendo *Coch. iiij.* ſequentis Apozematis.

℞ *Cort. Peru.* ℥jſs.
Sal. Tart. ʒj. *Coque* repetitis Vicibus in *Aq. font. q. ſ.* ad *Colaturae* ℔ij. quam adhuc bullientem affunde ſuper
Rad. Gent. Zedoar. Caſſam ā ʒjſs. *Coccin. Croc.* ā ʒj. *Cort. Aurant. Winteran.* ā ʒiij. & cum refrixerit, Colaturae adde
Aq. Cinnam. fort.
Vin. Chalyb. ā ℥iij. M.

℞ *Elix. Propriet. Helmont.* ʒvj.
Vitriol. ʒij.
Tinct. Mart. Mynch. ℈ij. *M.* & Capt. *Cochl.* parvulum in Hauſtulo Vini albi bis in Die, & ſubinde ſi viſum fuerit.

Nec eſt cur quenquam ſubiret mirari me Rhabarbarum admiſcere. Ex Ratione quidem &

& Experientia crebra mihi conſtitit Corticem in Febre expugnanda certiorem & efficaciorem exinde reddi.

Sed ne inhoneſto Silentio quae vera ſunt, diſſimulem, dum apud Medicos Pariſienſes celeberrimos annis abhinc quatuor verſatus, non levi Admiratione obſervavi, eos decoctis ſuis Peruvianis Mannam ſaepe adjeciſſe; Quantum vero Rhabarbari Uſus in his Caſibus Mannae praeferendus ſit, quiſnam eſt qui non fatebitur?

Ad *Inſalubritatem* pergamus, quod non ideo dictum velim (Vir ornate) ut intelligas me Corticem prorſus damnaturum, ſed ut inter & poſt ejus Uſum debitae Evacuationes rite celebrentur.

Vides (nam ubique fere eſt videre) Febres intermittentes, cum Chronicae evadunt, Viam ſternere ad Morbos quamplurimos & curatu difficillimos & poſt liberum Corticis Uſum Aegros variis & inter ſe diverſis tentatos eſſe Modis.

His

His nempe Crura & Ventrem Hydropicè intumeſcere; Illis Tonſillarum & Partium aliarum Dolores, Inflammationes, Abſceſſus, Gangrenas, immo Oſſium Sphacelos; Cephalalgiam, Cardialgiam, Phthiſin, Icterum, Rheumatiſmum; Infantibus Rachitiden; Senibus Diabeten; Foeminis Maniae Speciem; Puerperis nulla non mala accidere.

Unde vero haec omnia, haec varia & inter ſe longe diverſa? Uni & eidem Cauſae accepta ferri certus tibi ſpondeo, (*viz.*) Purgationi vel non omnino vel non rite inſtitutae; Atque eadem eſt utrobique Curationis Ratio; totius equidem Rei Cardo in evacuantibus & deobſtruentibus, in Sanguine & Viſceribus corroborandis & firmandis integre & omnino vertitur.

Sed vide obſecro unde omnis hic Error Ortum traxerit, reformidant nimirum Vulgus Medicorum, ne inſtituta Purgatione redeat Febris. Apage vanus ille & inſulſus Timor! Si cum aliis rite intercalatis Purgationibus & Diebus a Catharſi vacuis ad Recidivam praecavendam apta & in Ordine exhibeantur Remedia.

dia. Esto vero; quid si postliminio rediret? Annon plus imminet Periculi ab inclusis hic illic depositis Materiae venenosae Reliquiis, quam ab ipsis Febris Paroxysmis bis terve redeuntibus. Scire vellem quas ob Rationes, depulsis quibus Febribus cunque malignis & inflammatoriis, purgantia praecipiant omnes omnium Gentium Medici, nisi quod quicquid reliquum sit Materiae exterminare voluerint; Quidni ea de Causa, eodem Consilio in intermittentibus eandem Curationis instituam Methodum?

Anne Gratiae obsecro Medico isti sint habendae, qui Febris Paroxysmos tantum depulsaverit & repullulantem malorum Hydram adhuc domandam reliquerit: qui ab uno Aegrum redemtum mille aliis Hostibus inclementioribus vexandum tradiderit? Annon satius & levius esset sub ipsa Febre *aegrotasse*, quam ea Lege atque Omine *sanari*?

Saepissime vero mihi Risum commovit & Bilem ista Medicastrorum Ignorantia, qui in praedictis Casibus Aegros tanquam Morbis genuinis laborantes tractant, cum re-

vera

vera non ſint Morbi, ſed Symptomata, ſed Febris male tractatae Reliquiae & incluſae Putredinis Indicia.

Et ſi quis paululum animadvertat quoties tota Supellex Medica ab iſtis nequam *Agyrtis* importune & praepoſtere adhibeatur; quam multa eaque, proh Ignorantiam! pugnantia ad nauſeam uſque ingerantur Remedia, quibus officioſe necant; agnoſcet lubens mercenarios hoſce Homunciones in aucupanda Gloriola, in Quaeſtu parando totos eſſe: Fatebitur multum iis debere *Pharmacopolas*, nihil interim *Aegrotos*.

Te vero rectius (Vir erudite) cui Cordi eſt ut Medicina in Sedem Honoris & Dignitatis, quam ab antiquo obtinuit, reponatur, talem Te geſſurum auguror, qualem nec Gloriolae popularis Captatio, nec dulcis Odor Lucri ab Officio abducat. Macte Interim hoc Animo, & Aeſculapio lita ut caepiſti. Praeſta Te fidum Medicum Hominemque humani nihil à te alienum putantem. Aequa ſemper & hilari Animi Indole & gratuitam egenis ac lucroſam locupletibus Medicinam para,

ra,

ra, ut Morbo captus non tantum *Cito*, *Jucunde*, & qua fieri poteſt *Certitudine* ad Sanitatem reſtituatur, verum etiam ut ſe redimat quam queat *Minimo*.

SED e Diverticulo in Viam & ad noſtram Curationis Methodum.

MENSE Septembris proxime elapſo Viros tres poſt Febrem intermittentem, & a Cortice depulſam, quibus *Cephalalgia Periodica*, *Dolores Rheumatici*, *Venter Hydropicus*, *Facies Icterica*, eadem fere Methodo tractavi & intra Menſem ſanos dimiſi; quibus in hunc Modum praeſcriptum fuerat: Catharſin leniorem bis in Septimana celebrandam eſſe, Diebus vero a Purgatione liberis

℞ *Conſ. Aurant.*
Pulv. Peru. ā ℨvj.
Cinnab. Antimon. ℨiij.
Antehect. Poterii ℨij
Zinzib. Nuc. Moſch. in India Cond. ā ℨj.
Syr. Aurant. q. ſ. M. F. El..

Cujus capt. ℈. *N. M.* ter in Die, *H. med.* ſuperbibendo *Coch. iiij. Infuſ.* ſequentis.

F ℞ *Conſ.*

℞ *Cort. Peru.* ℥x.
Rad. Rhei.
Helleb. Nigr. ā ℥iij.
Sal. Absynth. ℥j.
Cinnam. Mac. N. Mosch. Caryophyl. ā ℥ß.

contundantur simul in Pulverem crassum & infundantur Vase clauso in B. Arenae per Dies tres in ℔*iij*. Vini Montani; Per Subsidentiam depuretur Liquor a Foecibus & filtretur.

Quinetiam quo magis in tuto collocaretur Aeger, ad ipsas Materiae febrilis Reliquias averruncandas & radicitus extirpandas, vel in Brachiorum vel Crurum alterutro Fontanellam incidendam esse jussi.

Quid amplius, nisi ut Curationi Coronidem imponam & Infirmitati Virium subveniam? Caeteris vero omnibus aliis Remediis quae ad Sanguinem exaltandum, Spiritus refocillandos & Firmitatem Partibus conciliandam faciunt, (uti crebrior Experientia edocuit) facile Palmam praeripit *Vinum Viperinum* quod est hujusmodi;

℞ *Vipe-*

℞ *Viperas Foemellas viv.* N°. x.
Limatur. Chalyb. ℥ij.
Succ. Aurant. N°. vj.
Nuc. Moſch. Cinnam. ā ʒjſs.
Vin. Hiſpan. ℔x. Digere in *B. A.* per Dies xij, & filtrati Liquoris Capt. ℥ij. bis terve in Die.

De *Phthiſi* vero (Vir digniſſime) ſine exorem te mihi hanc Veniam paucula ſubnectendi, nec ſane diverſus abeo, utpote te minime latet, quam plurimos Febre intermittente vexatos in funeſtam delabi Tabem. Nec ſane mirum videatur, ſi, ex ipſa Morbi Indole, ejuſque iterata & frequenti Recrudeſcentia, ſi ex efficacium Medicamentorum tempeſtive exhibitorum Neglectu, Calor tandem Hecticus accenderetur & continuus evaderet; ſi cum tenera adeo ſit Pulmonum Structura, eorumque Parenchyma veſiculoſum adeo & ſpongioſum ac proinde Humorum malignorum prae caeteris ſuſceptivum, Materia febrilis in iis depoſita, Tumores, malique Moris Ulcera tandemque Phthiſin induceret. Nec minus animadvertendum eſt hujuſmodi Aegris Morbum hunc lethalem fore ne ullam quidem inſi-

dere Suſpicionem, ſed (de more multorum) vel prorſus negligere, vel, quod eo redit, quibuſvis infimis *Sciolis* curandum tradere, quo fit ut non raro Diatheſin inflammatoriam & venenatam Sanguini & Humoribus concilient, vel ob ſtupendam eorum Inſcitiam pretioſiſſimi Salutis inſtaurandae Temporis Diſpendium faciunt, Aeſculapii Ope vix tandem petitâ, uſque dum *Theologum* potius de Animae Salute, quam de Corporis Sanitate *Medicum* conſulere conveniat.

HISTORIA



HISTORIA.

AGRICOLA quinquagenarius, Corporis crassi, in Laboribus exercitus, ad sesquiannum fere Febre laboravit intermittente, a qua iterum iterumque ex Usu Corticis repetito pro hac Vice liberatus, incertis tamen Intervallis adhuc recurrente, Medicaminum Palato minus adblandientium pertaesus & Crumenae forsan (*jam satis emunctae*) parcus, nullam Opem vel a Medico vel ab ipso Pharmacopaeo impetrandi tenax, praestolans Veris appropinquantis Adventum, speransque Hostem Sponte suâ tunc Temporis discessurum. Eheu vero! Intra Mensem fractis & attritis viribus Propositi inconsulti suppaenituit, at in pejus omnibus tendentibus ex Amicorum Suasu ipse fere invitus me consultum adiit. Quo

Tempore

Tempore *Pulſus* incitatus & debilis, *Sitis* avida, *Appetitus* in totum proſtratus, *Dyſpnoea*, *Tuſſis* continua, *Vigiliae* pertinaces, *Sudores* multi & colliquativi, *Facies Hippocratica*, *totumque Corpus attenuatum.* Inveſtiganti mihi ſedulo, quomodo ſe habuerat Aeger proxime elapſis ſex ſeptemve Menſibus, illico perſuaſum fuit, hanc Phthiſin eſſe veram prioris *Proteoformis* Morbi Sobolem; rejectis ideo Pectoralibus, Antehecticis, Antiphthiſicis aliiſque omnibus cujuſcunque Nominis Remediis, totam Curationem repetitis Catharticis & Electuariis & Decoctis Peruvianis (*Pag.* 13. & 16. & 36. praeſcriptis) committendam & abſolvendam ſtatui; Quo facto nullus dubitarem, quin detracto Fomite, Flamma Hectica Sponte extincta foret una cum tota Phthiſeως Symptomatum Turma. Nec quid me fefellit Spes & Fiducia, intra Menſem enim Catharſi licet Hebdomadatim bis repetita mirum in Modum refocillabantur Vires; *Tuſſis* rarior, *Reſpiratio* liberalior, *Somnus* placidior, *Pulſus* ad Normam magis compoſitus, *Vultus* vegetior, *Sitis*, *Orexis*, & *Perſpiratio* fere Naturalis, mutatis in melius omnibus, Catharſin ſemel tantum in Septimana repetendam, Diebus vero

ab

ab eâ vacuis, bis in Die *H. med. Coch.* iiij. *Infuſ.* Alterativae (Pag. 42. praeſcript) exhibenda, & Fontanellam duorum triumve Piſorum capacem incidendam imperavi. Tribus circiter elapſis Hebdomadis a Symptomate quocunque moleſto prorſus liberatus integre revaleſcebat, ac ſi nunquam decubuiſſet.

ALIORUM equidem (Vir erudite) ſub iiſdem fere Symptomatis nuper decumbentium, qui ab ipſis Fati Faucibus erepti, hac ipsâ Methodo evaſere, & ad hunc uſque Diem ſolitis ſuis funguntur Muniis, Hiſtorias ſpeciatim recenſere longum eſſet & ſupervacaneum.

SED quid audio? Quid objicis? *Nova haec & incomperta* eſt & non medendi Methodus *vulgata*; *Inaudita* eſt, *ante*, *inter* & *poſt* Corticis Uſum Purgatio. Malleſne ergo (uti *Maſſarias*) cum *Galeno* errare quam cum Recentioribus vera ſentire? Morem mihi obtendis; Renuo; nullius enim cujuſcunque Magiſtri in Verba juro; Praecedaneum ſequi Pecudum eſt, non Hominum. Sed ſi tantum apud te valeat Medicinae *Procerum* Autoritas;

ADEAS

ADEAS Sydenhamum, qui unus instar omnium de Febribus scripsit, a quo tibi manifestim constabit, illum ipsum eandem quam nos medendi Methodum Instituisse.

(*a*) TUM *ex Laudabilis in Urina Separationis Signis tum etiam ex manifesta omnium Symptomatum Remissione, percipio tempestivum esse Potionem* Purgantem *exhibere, quae* Sedimentum e praegressa *Fermentatione hic illic depositum subducat; quod nisi tempestive factum fuerit, Periculum est ne in Sanguinis Massam remigret, ejusdemque Febris recidivam conciliet; vel etiam sua in Partibus Naturalibus, ad quas amandatum fuit, Mora, in Mineram tenacium deinceps in Corpore malorum feracem abeat.——Et sane is non multum a Veritatis Scopo aberraverit qui affirmaret ab hoc Capite (purgandi scilicet post Febres Autumnales Omissione) plurium Morborum Colluviem quam ab ullo alio quo demum cunque Causarum Fonte dependere.*

(*b*) SUBLATO *Morbo aeger sedulo purgandus est: incredibile enim dictu, quanta Morborum Vis ex Purgationis Defectu post Febres Autumnales subnascatur; Miror autem hoc a Medicis*

(*a*) Pag. 64, 65. (*b*) Pag. 97.

minus

minus caveri minus & admoneri.——Omissa enim Purgatione *certo praedicere potui, Morbum aliquem periculosum postea adoriturum, de quo illi nondum somniaverunt.*

(*a*) De Feb. Intermittentibus. *Mense post Morbum depulsum effluxo, Potionem aliquam ex Lenitivis vulgaribus praescribo, atque eandem semel in Septimana ad Menses duos tresve subsequentes repetendam impero; addito etiam singulis Vicibus Haustulo aliquo Paregorico Hora Somni assumendo finita* Catharseως *Operatione.*

(*b*) De Rheumatismo] *Illi qui longum & repetitum Corticis Peruviani Usum experti sunt* Rheumatismo Scorbutico *sunt obnoxii.*

Ex hisce Luce clarius constat, illum ipsum vel Corticis Insalubritatem indigitasse, seu saltem post ejus Usum Catharticis Alvi subinde ejiciendae Necessitatem plane indicasse.

Sed quo de hac Re certiorem te faciam Consulas *Baglivium,* Medicum vere magnum, qui pleno Ore totidemque Verbis Corticem

(*a*) Pag. 98. (b) Pag. 278.

incusat Obstructionum Mesaraicarum incurabilium & Febrium Hecticarum, nisi Corpus & Remedia Ordine dato rite praeparentur.

De Fibra (a) Motrice] *Faelicem Aegrum, qui inciderit in Medicum Febres Morbosque Messenterii bene curantem: Tyrones mei, non Testaceis, non pessimo sane ac pestifero Chinae Chinae Abusu—non &c.—eas curabitis, sed solida nimium intenta laxando, nimium laxata intendendo, liquida nimium concreta solvendo ac per Intervalla purgando, intus & extra varia Remedia adhibendo:* Qui haec bene noverit *bene curare noverit.*

De Fibra (b) Motrice] *In Pueris & opipare viventibus maxime desinebant in Hecticam, praesertim si praescribebatur damnabilis Usus Chinae Chinae.*

De Praxi (c) Medica] *China China est Remedium Herculeum in Curatione intermittentium, dummodo tamen non detur, si aderit Suspicio Inflammationis alicujus Visceris—nam in talibus*

(a) *Baglivi.* Pag. 103. Edit. *Ultrajecti.* 1703.
(b) ——— Pag. 148.
(c) ——— Pag. 165. Edit. *Lugdun. Batav.* 1700.

Casibus

Casibus non tollit sed auget Febrem, omnemque morbosam Materiam in affectum Locum deponendo ac figendo, Inflammationes lethales ac demum Gangrenam producit.

Utilis *est in intermittentibus, dummodo tamen non praescribatur in Principio earundem, crudis adhuc existentibus Humoribus, interdum namque Febrem non tollit, & si tollit, paucis Diebus interpositis denuo redintegrat; Et quod his pejus est, novos Morbos frequenter producit, Asthmata, Hydropes, Dysenterias. Rheumatismum, Suppressionem Evacuationum consuetarum,* &c.

Alios etiam proferre possim sed in his enumerandis & transcribendis ulterius immorari nec vacat nec lubet.

Praedictis vero Verbum tantum addam, quo Testes in hac Re quam maxime *idoneos* appello, (viz.) *Artis Chirurgicae* peritos, quos quidem insalutatos praeterire Nefas esset, quos (Vir erudite) utpote ad humanae Salutis Conservationem pene dixerim utilissimos, quorumque *Munus* eximium ut summo Honore & Amore indesinenter prosequaris, te sedulus moneo, quorum etiam ex *Consuetudine,*

Monitis & Observationibus saluberrimis te Penum proprium locupletaturum certus tibi polliceor.

Hos inquam rogatos velim, quot & quantas quamque funestas nuperrime Tragoedias egit Febris; quot exinde ortae sint Inflammationes, Abscessus, Gangrenae, Sphacelique Tractatu difficillimi. Quisnam vero est qui non credat, his omnibus Purgationes rite inter Corticis Usum intercalatas vel occurrisse, vel Curationem leviorem effecisse.

Quo vero lucidius, quae dixi, pateant omnia, liceat mihi Morbi Cursum paucis praemonstrare; Prima ab ejus Invasione, id Negotii impendit Natura, ut Canales obstructos aperiat, & meabiles efficiat, Humores diluat, attenuet & fluidos reddat, quo facilius Ope Sudoris Particulae sibi inimicae ejicerentur. Quo Tempore & dum id struit & molitur, conflatâ Seditione & perturbato Sanguinis Statu Febris ut accedat, necesse est; Unde forsan reseratis Obstructionibus, & Humoribus rarefactis tum facilior fit per Poros Secretio, tum Velocitate aucta etiam uberior; nec quid

quid Opus est viso aut cauto ad Curationem absolvendam, nisi ut *Solidis Partibus* Tonum suum & Vim elasticam reddamus. Cum vero subacta Natura vel ex Humorum Viscriditate vel Meatibus cuticularibus nimium Foeculentiis obstipatis, Materiam sibi noxiam exterminare nequeat, ut prius in *Fluidis* ita deinceps in *Solidis* id quod superest Tragoediae peragitur. Et sicuti Natura aliae ignara est Methodi morbificam in Sanguine Materiam despumandi, nisi allecta sit Febris; ita etiam Massam carneam, nisi facto Apostemate, omni extraneo subducendi est nescia. Succedunt itaque Pus & Vomica, quo facto fieri non potest, quin aliquid ex illa Apostematis Colluvie in Massam Sanguinis per Venas circulari Motu reducti resorbeatur, sin vero Sanies ista ex Apostematis sentina profecta, nimia Copia Sanguini ingeratur, non tantum Febrem accersit, cui Aegri vires sunt impares, sed continuo Diluvio omnem ejus Massam Putredine inquinat, donec tandem & a Febre & Veneno intus delitescente diutius attritus & lacessitus, Gangrena tandem horrenda Sphaceloque exesus ab Habitu Corporis, velut e perenni Fonte scaturienti, de vivis tollatur Aeger.

SED

SED ut Epiſtolae ſit Modus, in his & hujuſmodi Febribus praeſens ab *evacuantibus* Subſidium eſt & Auxilium; ea autem evacuandi Via quae per Alvum fit, non modo *tutius* ſed & *jucundius* a Mortis Diſcrimine liberat, longamque etiam Malorum Congeriem, quae ſuccreſcere ſolet, quibuſlibet aliis Remediis *Faelicius* & *certius* dimovebit.

SI quae vero ſupra memorata vel *Imi* vel *Superioris* Ordinis Medicis non arrideant, nobis nil refert; ſciant enim & meminerint in promptu eſſe aegrotantium Catalogum, qui ex adverſiſſima, optima jam fruuntur Valetudine, qui Suffragiis ſuis Proceſſus noſtri Fidem firmare, ſtabilire poſſint & velint.

SPECULENTUR ii quibus Animo & Otio eſt; norint tamen nos de aliorum Plauſu minus ſollicitos, de Re ipſa tam ex Experientia quam Ratione certos eſſe. Nobis ſatis & abunde erit mederi, & Rem *Facto non fucato* evincere.

MIHI quidem (ſi aperte dicam) adeo faeliciter & ex Voto ceſſit haec (*ſi velis incomperta*) medendi Via, ut Humani Generis intereſſe putem, ut Epiſtola haec publici Juris fiat, ideoque cum ſatis evolveris, mihi remittas & Praelo mandabitur.

SCRIPTIS



SCRIPTIS Literis & tantum non obſignatis, in Memoriam revoco me Sponſione tractandi Variolas decedere: Spes vero ſubeſt (Vir erudite) me excuſatum te libenter habiturum, cum recordaveris dominum *Richardum Meadium* Medicorum Doctiſſimum totam a Carceribus ad Metam curandi Methodum nobis perhumane promiſiſſe. Non equidem mihi leve Gaudium, immo Exultatio fuit integerrimi Viri obſtinata Fides, cujus Dictis diffidere tantum eſſet Piaculi, quantum nobis eſſet Ineptiae, in eadem Re aliquid moliri. Peccarem & merito Audaciae poſtulandus eſſem ſi de Variolis aliquid effutirem, quas ad edomandas Vir tantus, tot tantiſque Naturae Dotibus praeditus, tam longa & repetita Experientiâ inſtructus, Obſervationes ſuas, accuratamque tractandi Rationem Publico impertire ſpondet. Dii faciant ergo ne mutet Factum, impendantque Vitam tam charam Patriae; Quas

enim

enim Strages ab hoc impatibili Morbo passa est Gens humana? In quantam vero Spem sub Auspiciis ejus Studiisque secundis ingreditur? nec sane immerito; nulli unquam enim Ingenii faelicior Proventus, Doctrinae uberior Seges, nusquam magis sollicitus erga Homines Amor.

LICEAT vero salva Reverentia tanti talisque Viri e multis tibi pauca in Antecessum dare. Te monitum, te cautum velim, ne ex Invasione Morbi *Emeticen*, nisi pareatur Necessitati, *temere* propinandam exhibeas, ne inani Spe Materiae Variolosae inde minuendae, aliisve Medicamentis Viae sternendae Specie ductus & illusus Morbum periculosiorem efficias.

1mo. Ne *nimium Sanguini assurgat Ebullitio.*

2do. Ne *Pustularum Eruptio nimis praecipitetur.*

3^tio^. Ne *superiora versus* (viz.) *Stomachum, Asperam Arteriam, Pulmones, Faciem, Oculos & Cerebri Meninges*, major uberiorque, quam par est, Materiae Quantitas deferatur. Dudum equidem ab ipsâ Morbi Indole, ab Emetices Operatione, ex ipsa Ventriculi, Partiumque vicinarum Stuctura, & de iis habita Mechanica Ratione,

tione, necnon Experientia multiplici animadverti Praxin hanc nimis popularem *Plurimis* fuiſſe funeſtam, *Pleriſque* noxiam, atque *Omnibus* fere dubiam.

QUINETIAM accedente vel urgente Febre Secundaria, admoneo te, ut ſemper, praeſertim vero *Veſperi* te ſedulum vigilemque praeſtares Medicum; quas in te ſemper intellexi Virtutes, quibuſque ornatum in Caſibus etiam arduis, ex *Venaeſectione Catharſi*que rite & tempeſtive celebratis te Plurimos ab infauſto Fato erepturum eſſe fidenter auguror.

SED quo me Fervor Calami & Stili Aeſtus invitum abripit? Maxime eſſet optandum (Vir ornatiſſime) ut ea quae de Variolis a *Viro eruditiſſimo* ſunt elucubrata, ad Umbilicum brevi perducantur; quo certius vero citiuſque nobis ea legendi exoptata eſſet Copia, Tibi boniſque omnibus in Votis ſemper ſit, ut ſanus Ille vivat, *ſeruſque in Coelum redeat*; pergatque Medicos omnes *Comitate ſua* demereri, Artem *ingenio* excolere, Artiſque Dignitatem *ſui Nominis Celebritate* tueri, Utraſque colluſtrare & perennitati conſecrare.

Si quid (Vir erudite) notatu dignum in Studiis, ſi quid *inſoliti* vel *inexplorati* in Laboribus tuis *Anatomicis* adverteris, candide ut impertias, rogo; Tractatum enim noſtrum, quem nupero Anno edere propoſui, quemque indies politius orno & limo, ut primum *Typographi* Sumptibus ſatis cautum erit, in Lucem emittere mihi certum eſt & decretum. Valeas & amare pergas me

Dat. Villâ Fauſtini
Die Decembr. *6to.*
1728.

Tui Semper Amantiſſimum

MARTINUM WARREN.